

**Aurélia LUGON**

**Édition partielle des actes du procès contre Jaquemet Vuactat dit Rosset, accusé de complicité dans le meurtre de Pierre de Sernay  
(juin 1403)**

**(Archives d'État de Genève, Procès criminels, 1<sup>ère</sup> série, n. 5)**

Travail réalisé dans le cadre du séminaire de master en histoire médiévale dirigé par  
FRANCO MORENZONI (printemps 2009)

[27d] In nomine Domini, amen.

Pro deffensione Jaquemeti Vuactat dicti Rosset a quadam  
pretensa inquisicione<sup>a</sup> in eum facta, ut dicitur, ex mero officio  
curie domini vicedompni Geben., de mandato, ut dicitur, discreti  
viri Petri Marecheti asserti locumtenentis<sup>b</sup> deputati ipsius domini  
vicedompni per Girardum Perussodi de Gez assertum notarium  
et dicte curie scribam et clericum, die XVIII mensis junii  
anno domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>mo</sup> tertio, super quadam pretensa confessione  
et accusatione Jaquemeti Tromberti de et super quadam asserta  
productione, impresia et vulneratione per ipsos Jaquemetum  
et Petrum Gredelleti inculpatos de morte domini Petri  
de Sernay monachi Sancti Victoris extra muros civitatis Gebenn.  
quondam, inde<sup>c</sup> ut dicitur sequita factis et aliis que in ipsa  
asserta pretensa inquisicione<sup>d</sup> dicuntur contineri ut dicit, proponit  
dictus Jaquemetus Vuactat ad sui deffensionem et eius  
innocentiam luce clarius ostendendam, et ut absoluī debeat  
ab ipsa pretensa inquisicione et toto eius processu, et etiam  
quod nec indicium vel suspicio aliqualis contra ipsum de eis  
de quibus inculpatur appareat sed de eius tantum  
innocentia luce clarius appareat, et quod nichil contrarii  
contra ipsum suspicari possit nec debeat de jure, propter  
quod aliqualiter subici debeat questionibus sed omnino absoluī<sup>e</sup>  
ut prefertur  
ad tollendamque omnem vanam et sinestram sue bone  
fame suspicionem et ad omnem alium effectum ad quem  
sibi et melius prodesse poterit et debebit, citra tamen  
cuiusquam iniuriam et diffamationem, de quo soli protestatur,  
et etiam ex abundanti, cum ex tenore processus  
dicte pretense inquisitionis non sit nec appareat

<sup>a</sup> inquisicione] inquisicione *cod.*

<sup>b</sup> locumtenentis] locuntenentis *cod.*

<sup>c</sup> inde] *om. a.c.*

<sup>d</sup> inquisicione] et toto eius processu et etiam quod nec indicium *add. a.c.*

<sup>e</sup> absoluī] et sinestram fiat sue bone fame suspicionem *add. a.c.*

[28g] aliqualiter criminosus nec culpabilis de hiis de quibus  
inculpatur, ut tam ex tenore articulorum et aliorum  
contentorum in ipsa pretensa inquisicione. Que tamen  
in quantum pro se faciunt et eius innocentiam  
recepit et admittit, in ea tamen parte dumtaxat  
que pro se faciunt vel facere possunt, in quantum vero  
contra ipsum faciunt vel facere possunt non recipit  
nec admittit protestando semper de ineptitudine  
articulorum ipsorum dicte inquisitionis et alias de nullitate  
processus etiam causis et rationibus in iuris allegatis  
deducendis suo loco articulos infrascriptos.

[primus] In primis quod dictus Jaquemetus Vuactat est filius  
naturalis et legitimus Nycoleti Vuactat de Bissingio,  
qui Nycoletus vivit et est in humanis, quodque dicti pater  
et filius sunt et fuerunt totis temporibus vite ipsorum boni  
et simplices agricolle, videlicet dictus pater est et fuit agricola  
et dictus Jaquemetus delatus eius filius condurerius  
seu sartor, boneque vite, bone fame et tales qui  
consueverunt vivere pacifice, nemini iniurando dicto  
vel facto culpa ipsorum, et de eorum labore vivunt et maxime  
dictus Jaquemectus<sup>a</sup> tam de suo quod ex ministerio  
sartorie<sup>b</sup> quam ex in iustis<sup>c</sup> aliis suis laboribus,  
neminem opprimendo. Ita est verum, publicum et notorium,  
sicque se habet publica vox et fama communiter et publice inter notos  
et vicinos.

<sup>a</sup> Jaquemectus] sartorie *add. a.c.*

<sup>b</sup> sartorie] acquisivit *add. a.c.*

<sup>c</sup> iustis] iniustis *a.c.*

- [II] [28d] Item quod si repperiatur dictum Jaquemetum Vuactat fuisse badellum curie predicte vicedompnatus, quod ipse fuit creatus et constitutus badellus non ad sui postulationem sed ad mandatum domini Johannis de Vernetto militis et domine Ayme eius uxorius, quamdiu tamen eisdem placeret, quorum duorum coniugum ipse delatus erat et est homo, et etiam pater suus predictus est. Ita est verum, publicum, notorium et manifestum, sicque se habet publica vox et fama.
- [III] Item quod dictus Jaquemetus Vuactat delatus quod tempus et tempora quibus exercuit officium badellatus seu fuit badellus dicte curie, dictum officium bene et fideliter exercuit procurando honorem et comodum domini nostri Sabaudie comitis et eius vicedompni ac curie predicte pro viribus. Ita est verum, publicum, notorium et manifestum, sicque se habet publica vox et fama communiter et publice inter notos et vicinos.
- [IV] Item quod predictus Jaquemetus Vuactat delatus, die XXI mensis julii que fuit vigilia beate Marie Magdalene et ante per plures dies, fuerat et fuit revocatus et remotus et erat a predicto officio badellarie per nobilem dominam Aymam predictam uxorem dicti domini Johannis de Vernetto militis absentis a patria et ultra montes in partibus Ytallie seu Lombardie existentis, et sibi Jaquemeto delato prohibitus per eamdem ne de dicto officio ulterius se intromicteret. Ita est verum, publicum et notorium, sicque se habet publica vox et fama communiter et publice inter notos et vicinos.

- [V] [29g] Item quod ipse prefactus delatus, pretextu dicte prohibitionis sibi facte per dictam dominam Aymam ne de dicto officio badellarie se ulterius intromicteret, renunciaverat dicto officio et eius exercicio nec dictum officium dicto tempore nec ante per plures dies et septimanas exercuit nec exercebat. Ita est verum, publicum, notorium manifestum, sicque se habet publica vox et fama communiter et publice inter notos et vicinos.
- [VI] Item quod ipsa domina Ayma dicto tempore et ante habebat potestatem et mandatum speciale ab ipso domino Johanne eius viro badellos removendi et revocandi ac novos creandi, constituendi et ordinandi pro libito voluerit. Ita est verum, publicum, notorium et manifestum, sicque se habet<sup>a</sup> publica vox et fama.
- [VII] Item quod si repperiatur prefatos Jaquemetum Tromberti et Petrum Gredelleti quondam repetitos in ultima ipsorum responsione facta per ipsos infra castrum Insule super processu in eos intitulato de morte dicti domini Petri de Sernay monachi anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> III<sup>cio</sup> die XXIX mensis maii inculpassee dictum Jaquemetum Vuactat et dixisse dictum Jaquemetum Vuactat scivisse impresiam ipsorum et fuisse consciuum et culpabilem de et super hiis de quibus ipsum, ut dicit, inculpaverunt et per ipsos commissis, quod illam responsionem et inculpationem dixerunt

<sup>a</sup> habet] het *cod.*

[29d] et fecerunt, si facte et dicte repperiantur, nullo iuramento per eos prefato ad sancta Dei Evvangelia, sed metu torture. Quodque ipsi Jaquemetus Tromberti et Petrus Gredelleti illo tunc et illa die ipsi fuerunt suppositi questioni et torture infra dictum castrum Insule et severiter fuerunt questionati. Et dum torquebantur et erant in tortura pendentes fuerunt ipsorum quilibet comminati aspere per Petrum Marecheti assertum vicesgerentem domini vicedompni Gebenn. quod nisi dicerent ea super quibus interrogabantur severius et crudelius torquerentur. Et tunc, auditis cominationibus predictis, ipsi dixerunt quod dicerent. Et eo tunc fuerunt positi ad terram et remoti a corda et incontinenti fuerunt examinati super dicto processu facto contra ipsos. Et responderunt ac confessi fuerunt metu torture predicte ne interato torquerentur, prout in dicta asserta responsione continetur, si<sup>a</sup> confessos fuisse contra dictum delatum vel ipsum inculpasse et respondisse repperiantur, quarum responsionum tenor de verbo ad verbum describitur inferius prout <per<sup>b</sup>> curiam<sup>c</sup> domini vicedompni fuerunt tradite. Ita est verum, publicum, notorium et manifestum, sicque se habet publica vox et fama communiter et publice inter notos et vicinos.

- [VIII] Item quod dicti Jaquemetus Tromberti et Petrus Gredeletti pridem et ante pretensam eorum responsionem de qua in proximo precedenti articulo fit mentio, dicte pretense inquisitioni responderunt medio eorum iuramento per ipsos ad sancta Dei Evvangelia

<sup>a</sup> si] confessio add. a.c.

<sup>b</sup> per] suppl. om. cod.

<sup>c</sup> curiam] curia cod.

[30g] corporaliter prestito,<sup>a</sup> et quemlibet ipsorum et in manu  
Girardi Perrussodi predicti curie predicte asserti clerici et  
in presentia dictorum procuratorum et sindicorum dicte civitatis  
Gebenn. In qua responsione dictum Jaquemetum Vuactat  
delatum in nullo inculpaverunt nec in aliquo  
ipsum Jaquemetum Vuactat de contentis in ipsa pretensa  
inquisitione et morte dicti domini Petri de Sernay monachi  
quondam culpabilem et conscientium aliqualiter dixerunt,  
ut in dicta eorum responsione prima per ipsos Jaquemetum  
Tromberti et Petrum Gredelleti in dicto processu facta, ad  
quam se reffert. In quantum tamen facit pro ipso et ad  
eius deffensionem et non aliter nec ultra dicit  
contineri. Sicque se habet publica vox et fama  
communiter et publice inter notos et vicinos. Ita est verum,  
publicum, notorium et manifestum.

- [IX] Item quod dictus Jaquemetus Vuactat delatus, statim  
post dictam rixam habitam inter ipsos Jaquemetum  
Tromberti et Petrum Gredelleti ex una parte et dominum  
Petrum de Sernay monachum ex parte altera,  
licet pro tunc non foret badellus dicte curie, ac tamen  
predictam nunciavit locumtenenti predictus domini vicedompni,  
quodque eadem die vigillie beate Marie Magdalene qua dicitur  
dictam rixam factam fuisse fuerunt capti et carceribus  
mancipati et detenti infra dictum castrum Insule per  
dominum locumtenentem tunc dicti domini vicedompni et eius curiam.  
Et ex tunc et citra continue steterunt detenti et carceribus  
mancipati tam infra dictum castrum Insule quam

<sup>a</sup> prestito] ab ipsis *add. a.c.*

[30d] apud<sup>a</sup> Gaium usque ad dictam diem veneris qua fuerunt condemnati et decapitati. Et ita est verum, publicum, notorium et manifestum, sicque se habet publica vox et fama inter notos et vicinos communiter et publice.

- [X] Item quod dictus Jaquemetus Vuactat delatus per aliqua tempora ministravit expensas dictis Jaquemeto Tromberti et Petro Gredelleti dum erant detenti et incarcерати infra dictum castrum Insule de mandato domini locumtenentis tunc domini vicedompni Gebenn. prout inculpatis a delatis ac incarcерatis solitum est<sup>b</sup> ministrare, quodque, quia non eisdem non ministrabat ad eorum voluntatem, ceperunt eumdem Jaquemetum Vuactat habere odio et displicenter gerebant eo quod ipsis splendide non ministrabat ad eorum voluntatem alimenta. Ita est verum, publicum, notorium<sup>c</sup> et manifestum, sicque se habet publica vox et fama communiter et publice inter notos et vicinos.
- [XI] Item quod si repperiantur dictum Jaquemetum Vuactat delatum cepisse aliqua bona mobilia existentes infra cameram dicti Petri Gredelleti, quod ea cepit et levavit de mandato expresso prefati domini Johannis de Vernetto vicedompni Gebenn. et<sup>d</sup> Johannis de Albergamento locumtenentis tunc dicti domini vicedompni Gebenn. et pro alimentis dicto Petro Gredelleti tunc incarcерato ministrandis, quodque auditio per dictum Petrum Gredelleti quod dictus Jaquemetus Vuactat delatus dicta bona dicti Petri ceperat et levaverat

<sup>a</sup> apud]Ganun add. a.c.

<sup>b</sup> est] prestare add. a.c.

<sup>c</sup> notorium] quod add.

<sup>d</sup> prefati domini Johannis de Vernetto vicedompni Gebenn. et] om. a.c.

[31g] de mandato quo supra, ex tunc citra continue habuit ipsum Jaquemetum Vuactat odio capitali ad eo quod die qua fuit sententiatus corporaliter de ipso super dictis bonis. Ita est verum, publicum, notorium et manifestum, sicque se habet publica vox et fama communiter et publice inter notos et vicinos.

- [XII] Item quod si repperiatur dictos Jaquemetum Tromberti et Petrum Gredelleti inculpasse in dicta eorum responsione in descensu torture et questionis eis facta et metu eiusdem, dictus Jaquemetus Trombertia ipsa die veneris qua fuit decapitatus<sup>b</sup> in loco supplicii sui et prope plotum in quo fuit decapitatus volens conscientiam suam exonerare dixit et publice attestatus est et sub periculo anime sue publice et coram populo ibidem adstante quod dictus Jaquemetus Vuactat delatus non erat aliquiliter culpabilis de morte dicti domini Petri de Sernay monachi nec de aliis de quibus inculpaverat ipsum Jaquemetum Vuactat delatum et ipsum omnino deculpavit. Ita est verum, publicum, notorium et manifestum, sicque se habet publica *<vox<sup>c</sup>>* et fama communiter et publice inter notos et vicinos.
- [XIII] Item quod dictus Jaquemetus Tromberti pridem ante dictam rixam in qua dictus dominus Petrus de Sernay monachus dicitur fuisse vulneratus habuerat verba et rumorem

<sup>a</sup> Tromberti] *om. a.c.*

<sup>b</sup> decapitatus] deputatus *cod.*

<sup>c</sup> vox] *suppl. om. cod.*

[31d] cum domino Aymone Salanchi iurisperito et non cum dicto monacho, cuius occasione dicta die<sup>a</sup> vigillie festi beate Marie Magdalene venerat, ut dicitur, dictus dominus Petrus de Sernay ad domum dicti domini Aymonis cum Johanne Salanchi<sup>b</sup> fratre dicti domini Aymonis ex parte patris tantum, qui Johannes ex parte matris sue erat de progenie dicti domini Petri de Sernay monachi quodque occasione dictorum verborum<sup>c</sup> et rumorum habitorum inter dictos dominum Aymonem Salanchi et Jaquemetum Tromberti fuit mota dicta rixa die vigillie predicte ; erat- que Jaquemetus Tromberti predictus principalis dicte rixe, adeo quod dictus Petrus Gredelleti requisivit dum ducebatur ad supplicium virum nobilem et potentem dominum Girardum, dominum Terniaci, militem, et Petrum Marecheti predictum quod sicut ipse Jaquemetus Tromberti erat principalis prius exequeretur et moreretur. Et ita fuit factum quia primo fuit exequitus. Erat- que dicta die veneris vigillie beate Marie Magdalene dictus Jaquemetus Tromberti ante dictam rixam absque eo quod ipsum dominum Petrum monachum haberet odio nec habuit aliqua verba iniuriosa vel rumorem cum ipso, sed ipsum diligebat ac etiam ignorabat ipsum esse infra dictam domum dicti domini Aymonis Salanchi quounque vidit exeuntem dictum dominum Petrum monachum de dicta domo, gladio evaginato, hora qua fuit dicta rixa habita inter eos. Ita est verum, publicum, notorium et manifestum, sicque se habet publica vox et fama.

<sup>a</sup> die] vill add. a.c.

<sup>b</sup> Salanchi] fra add. a.c.

<sup>c</sup> verborum] bis ser.

[XIV] **[32g]** Item quod prefati Jaquemetus Tromberti et Petrus Gredelleti dicta die veneris qua fuerunt decapitati ante eorum mortem apud Champe in loco supplicii, et dum ducebantur ad supplicium, dixerunt palam, publice, alta voce intelligibili quod per periculum animarum suarum ipsi non merebant malum de morte dicti domini Petri de Sernay et quod nunquam fuerunt propositi nec voluerunt sibi malum faciendi. Et si quid factum fuerat per ipsos contra dictum monachum fuerat factum ad eorum legitimam deffensionem. Ita est verum, publicum, notorium et manifestum, sicque se habet publica vox et fama inter notos et vicinos communiter et publice.

[XV] Item quod dictus Jaquemetus Vuactat, dicta die vigillie beate Marie Magdalene et ante, erat amicus et benivolus dictorum dominorum Aymonis Salanchi et Petri de Sernay monachi, nec unquam habuerat seu habuit aliqua verba iniuriosa nec rumorem cum ipsis, sed ipsos diligebat eorumque comodum et honorem procurasset suo posse, quodque dicta die vigillie beate Marie Magdalene qua dicta rixa fuit facta dictus Jaquemetus Vuactat, cupiens et affectans totis viribus bonam pacem et concordiam fore de dicta rixa inter ipsos dominum Aymonem et Jaquemetum Tromberti, venit ad domum prefati domini Aymonis

[32d] ad tractandam pacem et concordiam inter ipsos dominum Aymonem  
et Jaquemetum Tromberti bono zelo et bona intentione  
pacis et concordie fiende inter ipsos. Ita est verum,  
publicum, notorium et manifestum, sicque se habet publica  
vox et fama communiter et publice inter notos et vicinos.

- [XVI] Item quod dominus Aymo Salanchi, postquam monachus de Sernay fuerat vulneratus, dixit palam  
et publice et coram personis fidedignis quod se ipse dominus Aymo et dictus monachus obtemperassent  
et cuditissent consilio dicti Jaquemeti Vuactat quod nullus rumor neque aliqua iniuria  
fuisset secuta inter predictos dominum Aymonem et monachum cum predictis Gredelleto et Jaquemeto  
Tromberti,  
nec aliqua vulneratio<sup>a</sup> fuisse facta dicto monacho. Et hoc fuit et est verum, publicum et notorium.
- [XVII] Item quod si repperiatur dictum Jaquemetum Vuactat delatum  
die festi Pasche<sup>b</sup> nuper lapsa ipsos Jaquemetum Tromberti  
et Petrum Gredelleti incarceratos deferrasse et de profundo  
turris Insule exisse, quod hoc fecit de mandato  
et licentia nobilis viri domini Johannis de Verno militis  
vicedompni Gebenn., sibi delato et Johanni Girardi presenti dum  
fuerunt extracti de profundo dicte turris et deferrati factis,  
quodque dicti Jaquemetus Tromberti et Petrus Gredelleti  
fuerunt adeo bene custoditi quod dictum castrum non exierunt  
ex tunc nec exire potuerunt, sed fuerunt reducti  
infra dictam turrim et in fondo positi et inferrati.
- [XVIII] Item quod prefatus dominus Aymo Salanchi iurisperitus inquisitionem  
et inquisitionis processum<sup>c</sup> intitulatum contra prefatos Jaquemetum  
Tromberti et Petrum Gredelletum fieri promovit et fecit,  
et ipsum processum prosequitus fuit contra dictos Jaquemetum  
Tromberti et Petrum Gredeletti et alios eorum complices,  
articulos et cedulas dictando et tradendo curie, personaliter  
que comparuit et petiit et instanter requisivit fieri  
iusticiam de ipsis, allegationesque et exceptiones contra  
eorum deffensiones fecit et tradidit curie memorate

<sup>a</sup> vulneratio] vulnerato *cod.*

<sup>b</sup> Pasche] Pache *cod.*

<sup>c</sup> processum] processus *cod.*

[33g] continuando prosecutionem contra ipsos testes producendo<sup>a</sup>  
et ministrando curie antedicte usque quo fuerunt sententiati  
et decapitati, et adhuc prosequitur alios inculpatos  
de nece dicti monachi. Ita est verum, publicum, notorium  
et manifestum, sicque se habet publica vox et fama  
communiter et publice inter notos et vicinos.

- [XIX] Item quod Jaqueta filia Johannis Magnin de Chomont habitatrix  
Gebenn., ancilla Petri Mothionis, testis producta  
anno domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>mo</sup> tertio, die XXIII mensis junii,  
est de Calvomonte et vicina et de progenie prefati  
domini Aymonis Salanchi, qui etiam est de Calvomonte,  
fuit producta in testem per dictum dominum Aymonem  
in inquisitione intitulata contra dictos Jaquemetum  
Tromberti et Petrum Gredelleti et eorum complices,  
quodque dicta Jaquemeta a dicta die veneris vigillie  
beate Marie Magdalene et citra continue semper fecit partem  
expressam in dicta inquisitione tam cum dicto domino Aymone  
et aliis persecutorum dicte inquisitionis contra dictos  
Jaquemetum Tromberti et Petrum Gredelleti et alios  
inculpatos de morte predicti, eratque tunc ipsius  
familiaris et domestica de progenie<sup>b</sup> prefati domini Aymonis.  
Ita est verum, publicum, notorium et manifestum,  
sicque se habet publica vox et fama communiter et  
publice inter notos et vicinos.
- [XX] Item quod dicta Jaquemeta, anno et die proxime dictis  
in proximo dicto articulo quibus fuit producta

<sup>a</sup> produtendo] productendo *cod.*

<sup>b</sup> de progenie] *om. a.c.*

[33d] in testem contra dictum Jaquemetum Vuactat, erat mulier  
vaga, lubrica, pauper, inconstans, levis opinionis,  
loquax et talis que propter eius inconstantiam et vaga-  
citatem consuevit mutare magistros et loca, et que  
pro modico se degeraret, faciebatque partem expressam  
contra dictum Jaquemetum Vuactat favore dicti domini Aymonis.  
Ita est verum, publicum, notorium et manifestum, sicque se  
habet publica vox et fama communiter et publice inter notos et vicinos.

- [XXI] Item quod si repperiatur dictum Jaquemetum Vuactat dicta  
die veneris vigillie beate Marie Magdalene de qua tertius articulus  
indiciorum dicte pretense inquisitionis facit mentionem,  
ivisse a domo Gullielmi Grumaux ad domum habitationis  
dicti domini Aymonis Salanchi pro dicendo dicto  
domino Aymoni quod super debato quem habebat cum dicto  
Jaquemeto Tromberti quod supersederet usque ad adventum  
illorum de Thoria dominorum dicti Jaquemeti Tromberti,  
quod hoc fuit de mane et ante prandium et ante vel  
circa horam tertiarum. Ita est verum, publicum, notorium  
et manifestum, sicque se habet publica vox et fama  
communiter et publice inter notos et vicinos.
- [XXII] Item quod si repperiatur ipsum Jaquemetum Vuactat dixisse  
seu respondixe super tertio dicte pretense inquisitionis  
se vidisse dictum dominum Petrum de Sernay monachum egredientem  
de domo dicti domini Aymonis et cum dictis Jaquemeto Tromberti  
et Petro Gredelleti cum ensibus et gladiis evaginatis,  
quod hoc fuit post vel circa horam none. Ita est verum, publicum  
et notorium, sicque se habet publica vox et fama inter notos  
et vicinos communiter et publice.

- [XXIII] [34g] Item quod si repperiatur Petrum Gredelleti die XV mensis iunii anno presenti currente Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>mo</sup> III<sup>cio</sup> inculpasse dictum Jaquemetum Vuactat et dixisse quod idem Jaquemetus Vuactat dicto Petro Gredelleti tradidisse quamdam cavilliam ferri et dixisse : ‘sibi auxiliare tibi et Deus tibi auxiliabitur’, et ulterius dixisse quod in ipsum Jaquemetum Vuactat confidebat et ipsum invenerant contrarium eis quia cum ipsis fuit in principio, medio et in fine operis predicti, quod dicta inculpatio seu responsio non nocet dicto Jaquemeto Vuactat pro eo quia fuit facta ipse absente et extra iudicium et non coram iudice competenti, ut pote coram Petro Marecheti, et ad ipsius Petri interrogationem absentibus procuratoribus, civibus et burgensibus civitatis Gebenn. qui sunt iudices competentes in terminibus publicis penam sanguinis ingerentibus. Etiam alia ratione quia non<sup>a</sup> fuit examinatus medio iuramento. Item alia ratione quia pridem predictus dictus Gredelletus, videlicet die XXIX mensis maii anno predicto, fuerat repetitus cum questionibus et tortura propter que, dubitans ne ulterius torqueretur, predicta dixit contra dictum Jaquemetum Vuactat, si dixisse et inculpasse repperiatur, et nullo iuramento in dicta responsione facta dicta die XXIX maii per dictum Petrum Gredelleti prestito, quibus die et hora fuit questionatus et tortus.
- [XXIV] Item quod si repperiatur dictos Jaquemetum Tromberti et Petrum Gredelleti fuisse repetitos et questioni subdictos atque tortos quod

<sup>a</sup> non] om. a.c.

[34d] illud fuit voluntarie et de facto et nullo juris ordine super  
hec observato. Ita est verum, publicum, notorium et  
manifestum, sicque se habet publica vox et fama  
communiter et publice inter notos et vicinos.

[XXV] Item quod dictus Jaquemetus Vuactat delatus est et fuit  
innocens totaliter et sine culpa ac dolo mortis  
dicti domini Petri de Sernay monachi quondam,  
estque absque eo quod fuit sciens nec consentiens  
vulnerum et mortis dicti domini Petri aliqualiter nec  
de contentis in ipsa pretensa inquisitione, ac etiam  
quod fuit contrarius aliqualiter in suis responcionibus  
vel attestationibus super ipsa pretensa inquisitione  
et alia facta contra dictum Jaquemetum Tromberti et Petrum  
Gredelleti si bene et medulariter actendantur<sup>a</sup> et considerentur<sup>b</sup>  
verba articulorum dictarum pretensarum inquisitionis et responcionum  
ac attestationum eiusdem.

[XXVI] Item quod publicum, notorium et manifestum est in civitate  
Gebenn. ipsum Jaquemetum Vuactat fuisse et esse innocentem  
et non culpabilem de morte dicti domini Petri de Sernay  
monachi et omnium aliorum quibus inculpatur. Ita est  
verum, publicum, notorium et manifestum, sicque se habet publica vox  
et fama.

[XXVII] Item quod premissa omnia et singula sunt vera, notoria, publica et manifesta,  
de ipsisque eorum singulis est publica vox et fama communiter et publice  
inter notos et vicinos.

Non astringens se etc.

<sup>a</sup> actendantur] actendantur *cod.*

<sup>b</sup> considerentur] considerentur *cod.*

[35g] Et premissa dicit et proponit dictus Jaquemetus Vuactat ad sui deffensionem et innocentiam ostendendam dumtaxat et non ad alicuius iniuriam vel diffamationem, de quo protestatur salvo etiam sibi iure magis argumentandi, proponendi, excipiendi, opponendi et dicendi in iure et facto tam contra processum dicte inquisitionis quam in facto principali, quam contra testes et alios prout sibi videbitur opportunum et saluis suis aliis exceptionibus et deffensionibus iuris et facti quibuscumque.

Sequitur responsio de qua in septimo articulo fit mentio

Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> III<sup>cio</sup>, die XXIX<sup>a</sup> mensis maii, infra Insullam Gebenn., presentibus viris discretis et providis domino Reymondo de Orseris iurisperito, Stephano de Veygier, Anthonio de Versoya, Anthonio Fontanelli, procuratoribus communitatis civitatis Gebenn., Henrico de Rovoroa domicello, Girardo de Sancto Germano, Petro et Guichardo Tavelli domicellis, Petro de Veygier, Johanne de Nanto, Janino de Peymes, Girardo de Burdigni, Petro Benedicti, Nychodo de Novo Castro, Johanne Baut, Nychodo de Estanchia, Petro de Aeria, Roleto Vuerchu, Reymondo dou Quarroz, Henrico de Fringier, Petro Sine Terra, Petro Balli, Jaquemeto de Bernay, Petro Machar, Humberto de Nullavilla, Guillemo de Rotulo, Johanneto dou Revilley, Johanne de Vuachio, Johanne Campanodi, Mermeto Versonay, Girardo Vyoley et pluribus aliis hominibus tam civibus quam burgensibus dicte civitatis, Petrus Gredelleti alias Catellini, repetitus per discretum virum Petrum Marecheti de morte viri religiosi fratris Petri de Sernay monachi Sancti Victoris quondam, respondet et confitetur super processu facto per Girardum Perrussodi de Gez clericum curie supradicte ut infra sequitur. Et primo, super primo et aliis sequentibus articulis in ipso processu contentis, dicit et confitetur quod ipse qui loquitur die veneris in vigillia beate Marie Magdalene de mane bibebat in taberna Boni Johannis condurerii et in exitu dicte taberne ipse loquens obviavit<sup>a</sup> Jaquemeto Tromberti portanti in mangia sue vestis de piscibus, qui Jaquemetus eidem loquenti dixit quod irent gentatum in domo Guillelmi Grumaul quia ipse portabat pisces et in ipsa domo bonum vinum vendebatur ; et<sup>b</sup> iverunt ad dictam domum dicti Guillelmi Grumaul ubi gentati fuerunt, et gentando fecerunt impresiam de eundo cursum supra dominum Aymonem Salanchi et alios qui super ipsis

<sup>a</sup> obviavit] *con. obvivanter cod.*

<sup>b</sup> et] *ivut add. a.c.*

[35d] current amicorum dict<sup>a</sup> domini Aymonis. Interrogatus qui erant cum ipsis in dicta taberna, dixit quod ipse loquens, Jaquemetus Tromberti, Johannes Tranalliardi dictus Rosset et Gonardus et quidam alias qui vocabatur Ruptil. Interrogatus si predicti sciebant dictam impresiam, dicit quod sic. Interrogatus quis consultit dictam impresiam facere, dicit quod Johannes de Albergamentis tunc locumtenens domini vicedompni et Johannes Escuerii etiam tunc clericus curie dicti domini vicedompni ; qui Johannes de Albergamentis dicto loquenti adcomodavit suam lauricam quam experiri<sup>b</sup> fecit per eius uxorem et matrem dicte uxoris, ut dicit, pro eundo cursum<sup>c</sup> supra predictos Salanchi. Super secundo articulo interrogatus, dicit se nichil scire. Super tertio articulo interrogatus, dicit quod ipse loquens dictum monachum uno ictu de suo ense in brachio senestro percuxit et uno vulnere vulneravit, et dictus Jaquemetus Tromberti in brachio destro seu in manu destra uno alio vulnere vulneravit. Interrogatus si ex illis vulneribus<sup>d</sup> decessit, dicit quod sic, prout dici audivit, quia a dicto tempore semper in carceribus fuit mancipatus, ut dicit. Interrogatus si qui alii fuerunt in dicta eorum impresia, dicit quod sic, duo cutellerii extranei et forenses quorum nomina ignorat, Johannes Tranalliardi dictus Rossetus, quam impresiam fecerunt fieri Johannes de Albergamentis et Johannes Escuerii. Interrogatus si congregaverunt aliquos socios qui essent cum ipsis, dicit quod sic, dictos cutellerios, Johannem Tranalliardi, dictum Rossetum, Gonardum Nycodum de Avussier, bastardum de Vuion et dictum Tardi, quos bene noscebat dictus Johannes de Albergamentis. Interrogatus si aliquis alias ipsum monachum percuxit, dicit quod non, nisi dictus Tranalliardus de uno lapide, et dici audivit quod unus ex dictis duobus cutelleriis digitos monachi amputavit. Interrogatus quid alii faciebant, dicit quod nichil, nisi quod erant in insidiis quod nisi essent fortes quod alii venissent ad socursum, quoniam dictus Johannes de Albergamentis dixerat dicto Jaquemeto quod acciperet secum dictum loquentem et nichil timebat. Dictus Johannes Escuerii dixerat : ‘procuratis per medium si quis super vos currat’. Interrogatus quare dictus locumtenens consentiebat in dicta impresia, dicit quod volebat se vendicare de dicto Salanchi qui simel in assisiis verba displicentia habuerant, exere serpentem de dumo(?) aliena manu, ut dicit.

<sup>a</sup> dicti] Guillelmi (?) add. a.c..

<sup>b</sup> experiri] experi cod.

<sup>c</sup> cursum] rursum cod.

<sup>d</sup> vulneribus] vulneravit add. a.c.

[36g] Interrogatus<sup>a</sup> si vox et fama est in civitate Gebenn. inter notos et vicinos quod ipsum monachum interficerant, dicit quod a pluribus dici audivit ipsum in carceribus visitantibus. Interrogatus si de<sup>b</sup> morte dicti monachi sit defamatus, dicit quod sic, cuius ipsum penitet. Interrogatus quis eis venabula presentavit, dicit quod dominus Amblardus de fenestris suis. Interrogatus quis ipsos custodiebat in carceribus, dicit quod Johannes Tranallardi. Interrogatus quis ipsum in custodiam posuerat, dicit quod Johannes de Albergamentis. Interrogatus si sciverit quando dictus Tranalliardus recessit, dicit quod sic. Interrogatus quando, dicit quod postquam dici audivit quod monachus erat mortuus. Interrogatus si recedere potuisset, dicit quod sic. Interrogatus quare non recessit, dicit quod promissionibus gencium que ipsum assecurabant et dicebant quod nichil timebat. Interrogatus que erant ille gentes, dicit quod Johannes de Albergamentis et Johannes Escuerii. Interrogatus si Guillelmus Grumaul audivit impresiam, dicit quod bene audivit. Interrogatus quis extrassit<sup>c</sup> bona Jaquemeti de Insula ubi morabatur, dicit Christinus Cherrotum de Sancto Gervasio et Vonchesius. Interrogatus si ante vel post mortem dicti monachi, dicit quod post. Interrogatus de cuius mandato, dicit quod de mandato Johannis Albergamentis.

Item die XV<sup>a</sup> mensis iunii fuit interrogatus dictus Petrus Gredelleti per dictum locumtenentem quis eisdem tradiderat quandam cavilliam ferri, qui Gredelletus respondit quod Jaquemetus Vuactat sibi dixit : ‘auxiliare tibi et Deus tibi auxiliabit’, dicens ulterius quod in ipsum Jaquemetum.

Item Jaquemetus Tromberti repititus, dicit, respondit et confitetur quod de iussu et consilio Johannis de Albergamentis et Johannis<sup>d</sup> Escuerii ipse loquens et Gredelletus, quem sibi associavit de mandato dicti Johannis de Albergamentis, fecerunt impresiam de eumdo cursum supra dominum Aymonem Salanchi. Interrogatus si quas gentes congregavit ad faciendum dictum opus, dicit quod sic. Interrogatus quas, dicit quod duos cutellerios extraneos, Gredelletum, Johannem Tranallardi, Berthetum de Arsina, dictum Tarditum, Franciscum de Viriom, Nycodum de Avusiex, Franciscum de Berio, Jaquemetum Vuactat, qui erant in insidiis pro ipsis auxiliando si necesse fuisset,

<sup>a</sup> Interrogatus] *bis scr.*

<sup>b</sup> de] ut *add. a.c.*

<sup>c</sup> extrassit] *extrasis cod.*

<sup>d</sup> Johannis] *Johannes cod.*

[36d] et fiduciam gerebat eo quod cum ipsis convenerat esse cum ipsis in ipso  
facto, et dictus Ruptyz dicit in domo dicti Grumaul ubi erant  
ipse Jaquemetus Tranalliardi, Gredelletus, Rossetus et dictus  
Ruptyz et Gonrardus Secent dictam impresiam de eundo ad dictum  
dominum Aymonem Salanchi ubi sciebat esse dictum monachum. Et  
iverunt ipse et alii quos supra nominavit, et quando fuerunt ipse et Gredelletus  
ante domum dicti domini Aymonis, monachus de Sernay exivit de  
dicta domo et ipsos percutere attentavit de gladio. Sed ipse  
Jaquemetus de suo gladio unum ictum in capite percuxit  
et de uno vulnere lesit, quem sanguinare vidit, ut dicit, presens,  
interrogatus si ipsum sanguinare vidit, et post dici audivit quod ex  
illis vulneribus decessit. Interrogatus si quis habebat ibidem aliquam  
item cum dicto monacho nisi ipsi, dicit quod non. Interrogatus si quis  
sibi arma iniuctavit, dicit quod dictus Amblardus venabula iniuctavit  
dicendo : ‘teneatis venabula’, nescit tamen quibus dicebat. Interrogatus  
si ex suis vulneribus decessit, dicit quod sic, prout dici audivit,  
et bene presumit quod melius decesserit ex illis vulneribus quam non. Interrogatus  
si vox et fama<sup>a</sup> laborat contra ipsum de morte ipsius  
monachi, dicit quod sit. Interrogatus si sit deffamatus de morte dicti  
monachi, dicit quod sit. Interrogatus quid ipse post rixam fecit,  
dicit quod ipse revenit in Insulam in qua ante morabatur. Interrogatus  
quis ipsos<sup>b</sup> incarceravit rixa habita, dicit quod Johannes de  
Albergamentis tunc castellanus, videlicet abadaz per Insulam, tamen pofuit  
custodiam eis Johannem Tranalliardi. Interrogatus si dictus Johannes  
Tranalliardi erat consentiens in impresia, dicit quod sit. Interrogatus  
quare non recessit quando ipse Johannes Tranalliardi recessit, dicit  
quod eo quia Johannes de Albergamentis et Johannes Escuerii et dictus  
Varembonus eis dixerat, ipsos confortando, confidebant, et ipsum  
invenerunt contrarium eis quia fuit cum ipsis in principio, medio et  
fine operis predicti, quod habebant bonas deffensiones et nichil timebant.  
Interrogatus si alias recedere potuisset, dicit quod sic. Interrogatus  
quando, dicit quod in festo Pasche<sup>c</sup> nuper lapsi. Interrogatus quomodo,  
dicit quod bene, quia erat extra turrim. Interrogatus quis ipsum extra  
turrim extraxerat, dicit quod Johannes Girardi et dictus Rossetus.

<sup>a</sup> fama] laborabat *add. a.c.*

<sup>b</sup> ipsos] incarcerated (?) *add. a.c.*

<sup>c</sup> Pasche] Pache *cod.*

[37g] Interrogatus de cuius mandato, domini Johannis de Vernetto, ut ipsi loquenti reportavit dictus Johannes Girardi. Interrogatus quid devenerunt sua bona mobilia que habebat infra Insulam, dicit quod deportari fecit per eius uxorem, filium et filiam uxoris sue. Interrogatus de cuius mandato, dicit quod de mandato Johannis de Albergamentis. Interrogatus quid fuit cum ipsis exeundo, dicit quod Christinus cherotonus Sancti Gervasii, Vonchesius Olardi habitator dicti loci, Perretus Forneri. Super facto cuiusdam mulieris quam fuit reperta in modum<sup>a</sup> hominis inducta interrogatus, dicit quod ipse loquens <et<sup>b</sup>> Johannes Tranallardi ipsa ceperunt et infra Insulam duxerunt de mandato Johannis de Albergamentis et Johannis Escuerii. Interrogatus quid de ipsa fecerunt, dicit ipsam redemi fecerunt de duodecim scutos. Interrogatus quis<sup>c</sup> habuit, dicit quod ipse recuperavit et inde tradidit dictis Johanni de Albergamentis et Johanni Escuerii qui sibi dederunt sex solidos. Interrogatus quis fuit in ipso tractatu, dicit quod Johannes Bertheti hostellerius, ipsam mulierem et ille qui ipsam ducebat. Interrogatus quare ipsam ceperat, dicit quod nescit, nisi de mandato quorum supra. Et dicit quod ipse Rossetus erat et fuit productor erga ipsum et partem suam adversam, quia unum dicebat ei et parti adverse aliud, et dixit quod dictus Rossetus dixit proiciendo unam cavilliam ferri et dixit : ‘auxiliare tibi et Deus tibi auxiliabit’. Et dixit quod ipse loquens bene sciebat quod dictus monachus erat infra domum dicti domini Aymonis Salanchi, et dixit quod ipse Jaquemetus agressus fuit dictum monachum.

<sup>a</sup> modum] i add. a.c.

<sup>b</sup> et] suppl. om. cod.

<sup>c</sup> quis] quid cod.